stantiam gloriæ » vocat Apostolus materiam ipsam, objectum et fundamentum gloriæ, II *Corinth.* XI, 17. Hac enim de causa substantia subinde ab Hebræis vocatur אצם *etsem*, id est os, quia instar ossis [illegible] fulcit et sustentat. Sic *Genes.* VII, 13, dicitur בעצם היום *beetsem*, id est in osse, hoc est in substantia (noster Interpres vertit, *in articulo*) « diei illius ingressus est Noe in arcam ; » et *Exodi* XXIV, 10, pro eo quod nos habemus : « Et quasi cœlum cum serenum est, » Hebræa habent כעצם השמים *keetsem*, id est, sicut os (substantia) cœli cum purum est. Substantia Hebræis vocatur os.

Hinc ossa Hebræis vocantur argumenta et demonstrationes, quibus rei veritas corroboratur, confirmatur et fulcitur. Patet hoc *Isaiæ* XLI, 21, ubi Deus provocans idola ad judicium, ut secum de divinitate concertent, proferantque suæ divinitatis argumentum, puta divinationem futurorum, sic ait : « Prope facite judicium vestrum, afferte si quid sorte habetis ; » pro *sorte*, hebræum est אצומותיכם *atsumotechem*, id est, ossa vestra, puta ossea et fortia argumenta proferte, quibus corroboretis et confirmetis causam vestram, probetisque vos esse deos. Tale os et ossea substantia, sive stabilimentum, corroboratio et confirmatio rerum sperandarum est fides. Argumenta et demonstrationes ab Hebræis vocantur ossa.

*Secundo* et melius, ὑπόστασις hic, uti et cap. III, vers. 14, idem est quod subsistentia et existentia, *q. d.* Fides facit ut bona futura quæ nondum existunt certa habeamus, certoque futura credamus et speremus, perinde ac si jam subsisterent, eaque coram nobis cerneremus : fides enim illa ipsa quasi præsentia et certissima oculis mentis subjicit, sicque per suam certitudinem, quamdam subsistentiam dat rebus speratis et futuris in intellectu et mente fidelium. Unde explicans subdit Apostolus : « Fides est argumentum non apparentium, » et vers. 27 : « Hac fide, inquit, Moyses invisibilem tanquam videns sustinuit. » Ita Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus et Syrus, qui ita vertit, *fides*, inquit, *est* פיסא *peïasa*, id est, *persuasio et certitudo de iis rebus quæ sunt in spe, perinde ac si jam existerent actu.* Hebræum enim אמנה *amana*, id est fides, derivatur a radice אמן *aman*, id est firmavit, fulcivit, stabilivit, fecit rem firme subsistere. Inde dicitur אמנה *amana*, id est fides, veritas, certitudo, constantia, stabilitas, qua res solide, certo firmiterque subsistit. Rursum, hac de causa substantia ab Hebræis vocatur quandoque מעמד *maomad*, id est status vel statio, quia spem stare et subsistere facit. Unde Chrysostomus : « Quoniam, inquit, ea quæ sunt in spe, sine substantia esse putantur, fides eis tribuit substantiam. Resurrectio necdum facta est, et necdum est in substantia, sed fides facit eam subsistere in anima nostra. » Et D. Thomas clarius allata etiam similitudine rem oculis subjicit : Res sperandæ, inquit, sunt sicut arbor in semine virtute latens, ac per fidem quodammodo jam existunt in nobis, sicut arborem modo quodam tenemus in semine. » Substantia idem est quod subsistentia et existentia. Substantia ab Hebræis vocatur status vel statio.

Dicit ergo Paulus : Cum vos, o Hebræi, ad fidem in adversis constantem hortor, nolo vos respicere ad bona præsentia, sed futura; quia fidei officium est, ut futura bona, quasi certissima menti offerat et exhibeat, atque per ea sustentet spem, patientiam omnesque virtutes in rebus afflictis : mercedem enim futuram, eamque immensam ita certo oculis mentis objicit, ac si jam cerneretur, et adepta esset : per fidem enim ita a mente apprehenditur, ac si jam subsisteret ; v. g. dicitur Christiano : Patere fortiter exilia, spolia, verba et verbera pro Christo ; eme spem pretio, da omnia tua pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo. Dicitur Martyri : Sustine generose ad momentum temporis equuleos, ignes, leones, furcas et cruces : manet te resurrectio, et caro gloriosa, manet te felicitas, opulentia, deliciæ immortales et æternæ. Hæc promissa nusquam adhuc cernuntur, nusquam subsistunt, non videt ea Christianus aut Martyr : accurrit fides, suaque certitudine, mirauque virtute et efficacia efficit in credentis animo illa videri ; proculque adhuc posita non secus lactare, fovere et roborare in adversis animum, ac si coram conspicerentur, et manibus tenerentur. Imo facit, ut sperans certius illa licet futura credat et speret, quam ea quæ præsentia coram se esse et existere actu videt. Fides procul posita futura facit præsentia.

Quocirca præclare S. Leo, serm. 2 *De Ascensione* : « Hanc, ait, fidem ascensione Domini auctam, et Spiritus Sancti munere roboratam non vincula, non carceres, non exilia, non fames, non ignis, non laniatus ferarum, non exquisita persequentium crudelitatibus supplicia terruerunt. Pro hac fide per universum mundum non solum viri, sed etiam feminæ ; nec tantum impubes pueri, sed etiam teneræ virgines usque ad effusionem sanguinis decertarunt. Hæc fides dæmonia ejecit, ægritudines depulit, mortuos suscitavit. »

SPERANDARUM. — Græcum ἐλπιζομένων verti potest, et *sperandarum*, scilicet rerum quæ sperantur; et *sperantium*, scilicet hominum qui sperant. Posteriori modo vertit et intelligit passim S. Augustinus, *q. d.* Paulus : Fides in anima justi credentis et sperantis, est quasi basis, quæ eum sustentat ut quasi despiciat bona terrena, speret atque exspectet cœlestia. Sed eodem redit sensus, sive vertas *sperandarum*, sive *sperantium*. « Merito, inquit S. Bernardus, serm. 1 *in Psal.* XC : « Apostolus fidem sperandarum rerum substantiam esse definit, quod videlicet non credita nemo sperare plus quam super inane pingere possit. Dicit ergo fides : Parata sunt magna et inexcogitabilia bona a Deo fidelibus suis. Dicit spes : Mihi illa servantur. Nam tertia quidem charitas : Curr[illegible] mihi ait, ad illa. » Hinc acute Clemens Alexandrinus, lib. I *Pædagogi*, cap. VI : « Revera, ait, sanguis (id est anima et vita : veteres enim putarunt sanguinem esse substantiam animæ, ut ait ibidem Clemens), sanguis, inquam, fidei est spes, in qua continetur, sicut fides ab anima. Cum autem spes ex-



piraverit, perinde ac si sanguis effluxerit, vitalis fidei facultas dissolvitur. » Disce hic quam cogitationes fidelis et Christiani debeant esse sublimes ; quam non terrena, præsentia et caduca, sed cœlestia, futura et æterna cogitare, sperare, prosequi, de iis loqui et ad ea anhelare debeat. Christiani cogitationes debent esse sublimes.

ARGUMENTUM. — id est, assensus, inquit D. Thomas, quo adhærescimus veritati. Verum græce est, ἔλεγχος, id est elenchus, demonstratio, convictio, uti vertit et legit S. Augustinus, lib. XIII *De Trinit.*, cap. I, et Chrysostomus hic. Sic Aristoteles scripsit librum *De Sophisticis elenchis*, id est, de argumentis sophisticis, quibus sophistæ alios convincere nituntur. Hinc Syrus vertit, *revelatio earum rerum quæ non videntur*, *q. d.* Apostolus : Fide convincimur ad credenda ea, quæ non videmus, quæ non apparent, perinde ac si in clara luce illa cerneremus ; tam certo enim illa nobis fides ostendit et demonstrat, ac si in meridie viderentur. Efficit enim fides, ut nihilo magis de futuris atque a sensu remotis mysteriis obscurissimis dubitemus, quam si vel oculis conspecta, vel ratione a nobis comprehensa forent, imo multo magis certiusque sint nobis persuasa, quam ea quæ sensu, ratione, vel demonstratione persuadentur ; ut v. g. malimus in Venerab. Sacramento negare id, quod oculi et manus nobis dictant, scilicet Eucharistiam esse panem, quam quod Christi Verbum et fides nobis proponit et persuadet, scilicet Eucharistiam esse corpus Christi ; pari modo in mysterio SS. Trinitatis, incarnationis, passionis, resurrectionis, malimus fidei, quam rationi naturali assentiri. « Papæ ! inquit Chrysostomus, quale istud est (fides) quod talem facit rerum evidentiam, qualis est, dum res ipsæ palam proponuntur ! » ἔλεγχος enim, id est demonstratio, non est nisi in rebus admodum manifestis.

Ubi adverte, demonstrationem hanc et evidentiam non esse in rebus ipsis, sed in Deo attestante. Quia enim Deus dicit et revelat nos resurrecturos et cœlo potituros, ideo id credo, quasi certissimum et evidentissimum non in se, sed in Deo, qui id revelat et attestatur. Evidens enim est verum esse et certissimum quidquid Deus dicit et revelat. Talis ergo est demonstratio ipsa fides, qualem rhetores schema nuncupant ; aut potius qualis est dioptra nautica, sive speculum oculare, quo naves et turres remotissimæ aliis non apparentes, apparent et cernuntur : hoc enim speculum oculum confortat, et species visivas ita cogit, roborat et condensat, ut longissime se spargant, remque remotissimam alias invisibilem clare videri efficiant. Quid enim Martyres, dum tot sibi apparari supplicia conspicerent, aliud opponebant, quam fidem, fideique dioptram et demonstrationem, quæ futuræ et immortalis vitæ immensa bona eminus menti eorum ita certo et vive repræsentabat, ut eorum fide et spe roborati et accensi, in ignes, enses et neces se darent et ruerent? Unde S. Augustinus, tract. 27 et 40 *in Joan.*, tom. IX : « Fides, inquit, est credere quod non vides, cujus veritas et merces est videre quod credidisti. » Et S. Gregorius, hom. 26 *in Evang.* : « Fides, inquit, non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. » Evidentia fidei non in rebus, sed in Deo attestante. Fides schemati et dioptræ comparata. Fides est credere quod non vides.

Hinc patet *primo*, fidem non esse fiduciam vel spem, ut volunt hæretici. Fiducia enim est in appetitu et voluntate ; fides vero est in intellectu : illum enim convincit, illique rem creditam et speratam exhibet et demonstrat. Fides non est fiducia : nam hæc est in voluntate, illa in intellecto.

Patet *secundo*, hac clausula, fides est elenchus et demonstratio rerum non apparentium, fidem distingui tum a scientia, quæ est rerum apparentium et evidentium in seipsis ; tum ab opinione, suspicione et dubitatione : hi enim incerti et dubii sunt assensus, fides autem est assensus certus, qui intellectum plane subigit et convincit.

Patet *tertio*, licet S. Hieronymus in cap. V *ad Galat.*, Theodoretus et Theophylactus hic, Damascenus, lib. IV *De Fide*, cap. XI, et alii vocent hanc (quam hic affert Apostolus) fidei definitionem ; e contrario Erasmus velit tantum esse encomium fidei, perinde ac litterarum esset encomium tantum, si dicerem : Litteræ sunt in rebus adversis solatium, in secundis ornamentum ; verius tamen est proprie hanc esse fidei descriptionem, per duplicem fidei propriotatem, eamque præcipuam : quarum prior est, quod fides sit basis et fundamentum spei, faciatque in animo subsistere ea quæ sunt futura ; posterior, quod intellectum faciat iis assentiri, quæ non intelligit, quæque suo lumine et ratione non comprehendit. Hæc est descriptio fidei per duplicem proprietatem.

Ubi nota : Non negat hic Apostolus fidem alias adhuc habere proprietates, aut eam se extendere quoque ad apparentia et existentia, itemque ad res non speratas ; imo pari modo fidem sic describere potuisset : Fides est substantia rerum tam sperandarum, quam timendarum ; estque argumentum tum apparentium, tum non apparentium. Fide enim credimus infernum, quem timemus, non speramus, et mortem quæ indies nobis apparet et cernitur. Potest enim eadem res, puta Deus, angeli, mors cognosci variis modis : nimirum *primo*, demonstratione ; *secundo*, sensu et experientia ; *tertio*, fide, quia scilicet Deus ea revelavit. Fides ergo infernum, mortem et judicium, quæ non speramus, sed timemus, utpote certo futura, menti quasi præsentia objicit et repræsentat, quia Deus qui est prima veritas, quæ fallere nequit, hæc tria fide cernenda nobis proposuit. Sed hæc omisit Apostolus, quia non erant ad propositum ipsius : tantum enim gloriam cœlestem futuram, et necdum apparentem, Hebræis afflictis proponere intendebat, ut ejus fide, spe et contemplatione eos animaret ad constantiam. Fides etiam versatur circa res timendas, et apparentes ac evidentes.

2. IN HAC ENIM TESTIMONIUM CONSECUTI SUNT SENES. — Probat suam fidei descriptionem ab exemplo sanctorum Patrum, quorum fides a Deo et hominibus probata et celebrata, talis fuit fides qualem hic descripsit. « In hac » ergo, id est per Vers. 2. Confirmatur fidei descriptio.

hanc fidem, Patres « testimonium consecuti sunt, » quod scilicet placuerint Deo. Deus enim ad eorum fidem mira et stupenda fecit; itaque facto ipso quasi testimonio suo, Deus tam ipsos, quam ipsorum fidem approbavit. Hunc esse sensum patet, quia ita se explicat Apostolus, dum subdit vers. 4 : « Fide plurimam hostiam obtulit Abel, per quam testimonium consecutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo. » Et vers. 5 : « Fide Henoch translatus est : ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo. »

*Secundo*, « testimonium consecuti sunt, » id est, publico Dei et hominum testimonio et commendatione ornati et laudati sunt. Sic enim « testimonium » per catachresin sæpe pro laude sumitur, quæ ex testimonio bono consequitur. Unde concludens hæc fidei testimonia et testes Apostolus vers. 39 : « Et hi, inquit, omnes testimonio fidei probati, » id est, commendati et laudati sunt.

SENES. — Prisci patres nostri, a quibus prognati sumus, quorum auctoritate et exemplo nos plurimum commoveri par est : est enim nobis quasi hæreditaria eorum fides, virtus et gloria.

3. FIDE INTELLIGIMUS APTATA ESSE SÆCULA VERBO DEI. — Probare incipit, *fidem* esse « argumentum non apparentium, » argumento ducto a prima rerum creatione. Creationem enim nec sensus, nec ratio, sed sola fides nos docet. Philosophi enim illud axioma, quasi primum physices principium : « Ex nihilo nihil fit, » statuentes, creationem negaverunt. Hinc Aristoteles docuit mundum fuisse Deo coæternum. Plato censuit mundum productum quidem esse a Deo, sed ex materia, quæ Deo coextiterit, fueritque æterna et increata.

*Errores philosophorum de mundi creatione.*

APTATA ESSE. — Græce κατηρτισμένα, id est, omnibus suis partibus quasi artubus et membris apte esse coagmentata, concinnata, coaptata et perfecta, ut quæque mundi pars tum sibi, tum aliis, tum ipsi toti mundo apte compaginetur et congruat; itaque ex singulis ita recte compositis mundus ipse integer, omnibusque suis numeris perfectus et absolutus consurgat et consistat. Unde Ludovicus Molina, *De Opere sex dierum*, disput. IV, notat nomine aptationis sæculorum, non intelligi creationem ex nihilo, sed digestionem, coordinationem et compositionem sæculorum (puta mundi et omnium mundanorum) ex materia terræ et aquæ, quam a principio Deus una cum cœlo empyreo creaverat. Syrus vertit דאתתקנו *dettakanu*. Quod tripliciter verti potest, primo, *ordinata esse*; secundo, *colligata esse*; tertio, *stabilita et fixa esse* sæcula verbo Dei, scilicet, ne quis inani formidine cœlum ruiturum, aut terram in aere pendulam deorsum aliquando prolapsuram vereatur.

SÆCULA. — Id est, tempora et omnia temporaria, puta mundum, et omnia quæ in mundo sunt. Est metonymia, ut dixi cap. I, vers. 2.

VERBO DEI, — id est, per Filium Dei. *Secundo* et simplicius, per jussum Dei, quo dixit *Gen.* I : Fiat lux, fiat firmamentum, fiat cœlum et terra, et omnia quæ in eis sunt.

UT EX INVISIBILIBUS VISIBILIA FIERENT. — id est, ut ex non entibus et non existentibus fierent entia et existentia. Est metalepsis : quæ enim non sunt, nec existunt, sunt invisibilia. Ita Theophylactus. In Græco est verborum metathesis, μὴ ἐκ φαινομένων, pro ἐκ μὴ φαινομένων. *Secundo*, Ludovicus Molina et Ribera hic, « ex invisibilibus, » id est, inquiunt, ex rationibus æternis ideisque rerum, quæ fuerunt ab æterno invisibiles et reconditæ in mente et Verbo Dei, tanquam in arte et exemplari suo, creata sunt omnia, ut existerent fierentque visibilia, utque suæ ideæ et similitudini, quam habent in mente divina, apte responderent. Ita D. Thomas, qui ad hoc citat illud Boetii, lib. III *De Consolatione*.

*Invisibilia prime, sunt non entia; Secundo, æternæ rationes, et ideæ rerum in mente Dei;*

> Pulchrum pulcherrimus ipse
> Mundum mente gerens, similique in imagine formans.

Sic Aristoteles, lib. VII *Metaphys.*, cap. VII, ait, ex domo sine materia (id est, ex idea domus, quæ est in mente architecti) fieri domum quæ habet materiam.

*Tertio*, Cajetanus, « ex invisibilibus, » inquit, id est informi, indigesta, inornata, inani mole et chao, quod primo die mundi creavit Deus, cum scilicet præter cœlum et terram nihil fecit aliud quam abyssum aquarum quæ terram operiret, seseque ad cœlum empyreum porrigeret. Ex hoc ergo chao et abysso, Deus sequentibus mundi diebus formavit cœlos, elementa, astra, aves, pisces, jumenta reliquaque omnia, ut existerent fierentque visibilia, id est spectabilia, pulchreque composita, digesta et ornata. Videtur enim Paulus de more alludere ad Septuaginta qui, *Gen.* I, pro eo quod nos habemus : « Terra erat inanis et vacua, » vertunt, *terra erat invisibilis et incomposita*. Unde et Sapiens, *Sap.* XI, 18, dicit Deum fecisse « orbem ex materia invisa. » Hic sensus est valde appositus, tum quia optime explicat *aptata*, tum quia præpositio *ex* proprie causam non exemplarem, sed materialem aut quasi materialem significat.

*Tertio, materia prima, et primum abyssus.*

4. FIDE PLURIMAM HOSTIAM ABEL, QUAM CAIN, OBTULIT DEO. — Pro *plurimam* græce est πλείονα, id est plurem, ampliorem, præstantiorem, pluris et majoris pretii. Ita Syrus, Chrysostomus, Theophylactus. Noster interpres ne diceret *plurem*, quod latine non dicitur, dixit « plurimam, » quasi dicat : Fides, quæ longe major et ardentior erat in Abel quam in Cain, excitavit Abelem, ut majores et præstantiores hostias Deo offerret quam Cain : nam Cain obtulit tantum fructus terræ; Abel vero obtulit primogenita gregis sui et adipes eorum, *Gen.* IV, 4.

Nota : Fides Abelis, qua ipse Deo placuit, quamque hic Apostolus commendat, non fuit



nuda et otiosa, qualis est Novantium; sed fuit viva, efficax et operans per actus latriæ, sacrificii, devotionis et charitatis. Sic fides Noe, Abrahæ, Mosis et aliorum operosa fuit, protulitque actus obedientiæ, peregrinationis, patientiæ, fortitudinis et tolerantiæ multorum laborum, dolorum et malorum, uti subjicit Apostolus.

*Fides patrum non erat nuda sine operibus, qualis est fides Novantium.*

PER QUAM TESTIMONIUM CONSECUTUS EST ESSE JUSTUS. — Testimonium hoc habetur *Gen.* IV, vers. 4, ubi dicitur : « Respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus : ad Cain vero, et ad munera illius non respexit. » In quem locum S. Hieronymus in *Quæstion. hebraicis* : « Unde, inquit, scire poterat Cain, quod fratris ejus munera suscepisset Deus, et sua repudiasset, nisi illa interpretatio vera esset quam Theodotion posuit? Et inflammavit Dominus super Abel et super sacrificium ejus; super Cain vero et sacrificium ejus non inflammavit. » Per ignem ergo a se missum, quo combussit Deus hostias Abelis, non Caini, ostendit Abelem, ejusque munera sibi placere, non Caini, ut tradunt Hebræi, Chrysostomus, Theophylactus et alii. Sic enim Deus per ignem a se missum ostendit sibi placere sacrificium Mosis et Aaronis, *Levit.* IX, 24; itemque Eliæ, non autem sacerdotum Baal, III *Reg.* XVIII; et Gedeonis, *Judicum* VI, 21; et Manue, *Judicum* XIII, 20; et Davidis, I *Paralip.* XXI, 26; et Salomonis, II *Paral.* VII, 1; pari modo Nehemiæ sacrificium igne probavit et commendavit Deus, II *Mach.* I, 32.

*Per ignem e cœlo missum probavit Deus sacrificium Abel, non Caini.*

ET PER ILLAM DEFUNCTUS ADHUC LOQUITUR, — quia Abelis licet olim occisi fides, innocentia, pietas, martyrium et memoria adhuc recens est et celebratur apud omnes fideles, eosque ad sui imitationem exhortatur melius quam si Abel mille linguis eos exhortaretur, tanta est vis exempli, *q. d.* Cain sustulit quidem Abelem, sed non sustulit ejus gloriam et memoriam, qua vivit et vivet semper in mente et ore fidelium. Ita Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Œcumenius (1).

*Quomodo Abel defunctus loquatur?*

Aliter Galenus et Ribera, loquitur, inquiunt, adhuc Abel, quia adhuc vindictam petit a Deo, ut in extremo judicio plene puniatur resurgens Cain, et quotquot ejus scelus secuti sunt : quasi Paulus alludat, imo citet illud *Gen.* IV : « Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. » Sed prior sensus germanior videtur et planior, agit enim de fide Abelis, quæ testimonium et laudem a Deo consecuta est; hancque ait adhuc loqui, id est, suo testimonio et laude divina provocare omnes ad sui imitationem.

*Vers. 5. Henoch et Elias translati in paradisum*

5. FIDE HENOCH TRANSLATUS EST NE VIDERET MORTEM. — Nota : Communis Patrum sententia est, Henoch et Eliam translatos esse in paradisum, ut tempore Antichristi redeant, et contra eum pro Christo decertent; ideoque ab Antichristo occidentur in Jerusalem, sed tertio die publice resurgent et ascendent in cœlum, ut dicitur *Apoc.* cap. XI, vers. 3 et 12. Idipsum docet Ecclesiasticus, XLIV, 16 : « Henoch, inquit, placuit Deo, et translatus est in paradisum, ut det Gentibus pœnitentiam. » Licet enim τὸ *in paradisum* non sit in Græco, est tamen in omnibus codicibus Latinis.

Quare perperam Judæi nonnulli putant Henoch esse mortuum *Gen.* V, 24; nam pro eo, quod nos habemus, *non apparuit*, hebraice est ואיננו *veenennu*, id est, *et non ipse*, id est, ut ipsi intelligunt, ipse non exstitit, non vixit, sed mortuus est. Verum hoc insulse dicitur, nam τὸ *et non ipse* significat, ipsum amplius non apparuisse in terra, non esse visum hominibus, non autem esse mortuum, alioquin enim de Henoch æque ut de Adam, Set, Noe et reliquis omnibus dixisset Moses : « Et mortuus est. » Jam autem hoc de eo non dicit, sed dicit ואיננו *veenennu*, *et non ipse*, scilicet apparuit amplius in terra. Ita enim vertit noster Interpres, Chaldæus, Septuaginta et ex iis Paulus hic : nam sequitur : « Quia tulit eum Dominus, » vel, ut Septuaginta et ex iis Paulus, μετετέθη, id est, transpositus est (scilicet a terra in paradisum) a Domino. Syrus vertit אשתני *estanni*, quod partim translatum, partim mutatum in meliorem sortem et statum significat; שנה *scana* enim tam Syris quam Hebræis mutare significat. Non ergo probabile tantum est, ut quidam temere dixerunt, sed plane certum ex communi S. Scripturæ, Patrum et Ecclesiæ sensu, Eliam et Henoch non esse mortuos, seu vivos raptos esse in paradisum, rediturosque sub finem mundi. Unde Tertullianus, lib. *De Resurrectione carnis*, « eos nondum resurrectione dispunctos, quia necdum morte junctos, sed tamen æternitatis candidatos » vocat.

*Certum est Eliam et Henoch non esse mortuos contra aliquorum Judæorum errorem et dubium.*

Quæres, quomodo « fide, » id est per fidem, ob fidem dicatur « translatus Henoch? » Respondeo : Henoch translatus est ob insignem vitæ innocentiam, qua non tam humanam, quam cœlestem in terris vitam agebat, ut potius Deo et angelis, quam hominibus jungendus esse videretur. Hanc causam insinuat Moses, *Genes.* V, 24, cum ait : « Ambulavitque (Henoch) cum Deo, et non inveniebatur, quia tulit eum Dominus. » Ubi satis significat quod Deus tulerit Henoch, quia Henoch « ambulavit cum Deo, » id est, Deo per omnia consensit, obsecundavit et cohæsit tanquam amicus cum amico, aut potius tanquam servus cum domino, jugiter et decenter versans et ambulans : hoc enim significat hæc phrasis; unde Amos, cap. III, vers. 3, sic ait : « Numquid ambulabunt duo pariter, nisi convenerit eis? » *Ambulare* ergo *cum Deo* est virorum magnorum et insigniter sanctorum, qui Deo perchari, conjuncti et familiares sunt, qualis fuit Noe, de quo dicitur *Gen.* cap. VI : « Noe vir justus atque perfectus cum Deo ambulavit, » ubi Chaldæus vertit, *ambulavit*

*Insignis Henoch innocentia, et unio cum Deo causa fuit raptus ejusdem.*

(1) Mortuo Abeli loquelam Paulus eodem sensu tribuit, quo apud Virgilium Phlegyæ pœna

> ....magna testatur voce per umbras :
> Discite justitiam moniti, et non temnere Divos.

*Noe in timore Dei*; Septuaginta et ex iis Paulus vertunt, *placuit Deo*, scilicet, uti solent aulici nonnulli regi placere, cum illi in deliciis sunt. Unde et apposite *Henoch* hebraice dedicatum vel consecratum Deo significat.

Dicit tamen Paulus, Henoch translatum esse « fide, » sive per fidem, quia fides futuræ retributionis excitabat Henoch ad præclara fidei opera exercenda, quibus ambulavit cum Deo, Deoque placuit, ob quæ meruit a Deo rapi et transferri in paradisum. Potuisset pari modo dicere Apostolus : Spe vel charitate, vel pietate sua insigni translatus est Henoch; sed maluit hoc fidei tribuere, tum quia de fide agebat, eamque Hebræis inculcabat; tum quia fides prima est et dux atque incentrix spei, charitatis, pietatis aliarumque virtutum.

6. SINE FIDE AUTEM IMPOSSIBILE EST PLACERE DEO. — Probat Henoch translatum esse per fidem, vel propter fidem, hac ratione : Henoch translatus est, quia placuit Deo; atqui non potuit placere Deo, nisi per fidem : ergo per fidem translatus est.

CREDERE ENIM OPORTET ACCEDENTEM AD DEUM, QUIA EST, ET INQUIRENTIBUS SE REMUNERATOR SIT.—Probat minorem syllogismi jam positi, scilicet Henoch non potuisse placere Deo, nisi per fidem, probat autem sic : ut quis ad Deum accedat uti oportet, eumque rite colat, itaque ei placeat, debet credere, « quia, » id est quod, « est » Deus, et quod « se inquirentibus sit remunerator. » Si enim quis atheus aut politicus putet Deum non curare res humanas, non punire malos, nec præmiare bonos et remunerari, hic negliget Deum, nec curabit ad Deum accedere eumque colere : ergo ut Henoch et quivis alius accedat ad Deum eique placeat, necesse est ut fidem habeat, qua in Deum judicem, vindicem et remuneratorem credat. Atheismus et politicismus Deum tollit.

Dices : Ut quis accedat ad Deum, eumque colat, sufficit naturalis Dei cognitio, qua philosophi cognoverunt Deum esse et esse vindicem bonorum et malorum : ergo non opus est fide. Respondeo, negando antecedens. Naturalis enim Dei cognitio tantum docet colendum et amandum esse Deum tanquam auctorem naturæ et bonorum naturalium, illaque tantum ab illo esse speranda et petenda. Deus autem vult amari et coli ab hominibus, non tantum ut auctor bonorum naturalium, sed etiam supernaturalium et æternorum post hanc vitam; nec alia ratione ad illum illiusque favorem et amicitiam accedere, illique placere, et grati esse possumus. Unde sæpe bona naturalia Deus in hac vita negat justis et amicis suis, eaque confert improbis et inimicis suis, ut nimirum doceat homines non illa præsentia, utpote vilia, caduca et exilia, sed spiritualia et æterna, utpote Deo digna, a Deo esse petenda, Deumque velle hæc, non autem illa primario et præcipue a se peti. Ad hoc autem opus est fide. Solo enim fides dictat nobis Deum esse auctorem non tantum naturæ, sed et gratiæ gloriæque æternæ, hæc enim sunt bona supernaturalia, sive res sperandæ et non apparentes, quarum argumentum est fides, uti vers. 1 docuit Apostolus. Non sufficit naturalis Dei cognitio sine fide ad salutem.

Adde, verius est (quidquid aliqui dicant) Deum esse, esse vindicem bonorum et malorum, aliaque attributa Dei naturalia Christiano, præsertim pœnitenti et justificando, credenda esse cognitione et fide, non tantum naturali, sed etiam supernaturali, uti docent doctiores et solidiores Theologi.

Hinc ergo recte concludit Paulus ad justificationem, ut scilicet simus amici Dei, Deoque placeamus, requiri fidem, sive cognitionem supernaturalem et divinam. Cognitio supernaturalis requiritur ad justificationem.

Loquitur Paulus de adultis, qualis erat Henoch : licet enim probabile sit, Henoch in infantia fuisse purgatum a peccato originali, et justificatum placuisse Deo per Sacramentum, vel sacrificium legis naturæ, ad id a Deo illo ævo institutum, ac consequenter infusam fuisse illi cum gratia fidem habitualem, non tamen potuit ob infantiam habere fidem et cognitionem actualem, qua actu crederet Deum esse et esse remuneratorem; illam ergo habuit adultus ex instructione Adæ, Set aliorumque patrum suorum. Igitur adultus actu credidit Deum esse et esse remuneratorem, atque per hunc fidei actum et considerationem remuneationis excitavit se ad heroicos charitatis, castitatis, patientiæ, religionis actus, quibus magis placuit Deo, meruitque justificationem secundam (de qua hic loquitur Paulus, uti et sæpe alibi, uti superius monui), puta justitiæ augmentum, atque in iis quotidie crescens meruit tandem transferri a Deo; ergo manet probata conclusio Pauli : « Fide translatus est Henoch. » Clarum est enim Henoch non meruisse transferri per fidem habitualem, quam habuit in infantia. Hanc enim habuere cæteri infantes illius ævi, qui tamen non meruere transferri. Ergo loquitur Apostolus de fide actuali, quam adultus habuit Henoch, cujus impulsu heroica opera patravit, ob quæ meruit præ cæteris transferri.

Nota : Ad justificationem, Deique amicitiam, qua illi placeamus, non tantum hæc duo, scilicet quod Deus sit et quod remunerator, sed plura alia credenda sunt, ut, Deum esse trinum et unum, Christum incarnatum et crucifixum esse mediatorem Dei et hominum, Christum esse peccati tum originalis, tum cujusvis actualis expiatorem, animam esse immortalem : Apostolus tamen tantum hæc duo jam dicta recenset, non quasi hæc sola sufficiant, sed quia hæc duo requiruntur vel maxime ad spem excitandam, ut Hebræi, et quilibet alius fortiter virtutis labores et agones obeat et sustineat, inquit Theodoretus. Plura credenda quam duo quæ hic recensens Paulus.

Nota *secundo* τὸ *remunerator* : inde enim contra Novantes recte colligimus merita bonorum operum, quibus mercedem Deus sit daturus. Hoc Meritorum valor stabili-



enim significat τὸ *remunerator*, et clarius Græcum μισθαποδότης, id est, mercedis retributor. Merces enim ad merita essentialem ordinem et relationem includit, ut scilicet omnis merces meritorum sit merces, et omnia merita mercedis sint merita.

7. FIDE NOE RESPONSO ACCEPTO (græce χρηματισθείς, id est, oraculo Dei admonitus) DE IIS QUÆ ADHUC NON VIDEBANTUR (de futuro orbis diluvio), METUENS APTAVIT ARCAM IN SALUTEM DOMUS SUÆ. — Pro *metuens*, in Græco legitur εὐλαβηθείς, id est, reveritus Deum : cum enim alii homines reverentiam, metum et fidem numinis abjecissent, riderentque minas Dei de futuro diluvio, solus Noe timuit, et reveritus est Deum judicem et vindicem, certoque credidit Deo prædicenti diluvium, ideoque ad illud evadendum arcam construxit.

Posset *secundo*, εὐλαβηθείς, id est reveritus, passive accipi (1) : quem scilicet Deus reverebatur. Sic enim Christus dicitur a Patre exauditus pro sua reverentia cap. v, vers. 6, *q. d.* Noe ob suam justitiam in honore et in pretio fuit apud Deum, ita ut Deus quasi ipsum revereretur, ideoque ipsum a diluvio servare vellet, indicans ei et præscribens effugium per arcam. Ecce quanti Sanctos faciat Deus.

PER QUAM (arcam) DAMNAVIT (Noe) MUNDUM, — *q. d.* Noe ipso facto et rerum eventu damnavit incredulitatis homines sui ævi, qui nolebant credere futurum diluvium et agere pœnitentiam, ideoque fabricam arcæ ejus irridebant : hosce, inquam, damnavit Noe, dum iis diluvio mersis ipse solus cum suis in arca diluvium evasit. Sic regina Austri dicitur *Matth.* XII, 42, condemnatura Judæos, scilicet ipso facto et studio suo, quo tam studiose a finibus terræ venit ad Salomonem, cum Judæi Christum, quem domi habebant, neglexerint et spreverint.

Vides hic, quod fides Noe ipsi fuerit substantia rerum non tantum sperandarum, sed etiam timendarum, scilicet diluvii, quod ut evaderet, tam operose per centum annos, omnibus irridentibus, fabricavit arcam, *q. d.* Sicut Noe per fidem sustinuit se in metu, spe, constantia ac labore fabricandi arcam per centum annos : ita vos, o Hebræi, per fidem vos sustinete, ut in persecutione sitis fortes, constantes et longanimes. Sicut enim quod credidit Noe, hoc re ipsa evenit, ut scilicet ipse per arcam evadens videret reliquos omnes diluvio mergi : ita vobis, o Hebræi, re ipsa eveniet id quod creditis, scilicet ut infideles persecutores vestros videatis diluvio ignis gehennæ absorberi; vos vero per fidem et Ecclesiam, quasi arcam, ab eo liberari et enavigare, atque ad portum cœli salutesque æternæ appellere. Noe fides, fortitudo, constantia.

ET JUSTITIÆ, QUÆ PER FIDEM EST, HÆRES EST INSTITUTUS, — *q. d.* Atque ita in Noe ejusque familia mansit justitia Adami, Henochi, Abel et aliorum veterum patrum, quam ipsi pariter per fidem acquisiverant, factusque est Noe ex asse hæres justitiæ et sanctitatis patrum : cum vitia et vitiosi homines omnes mersi essent diluvio. Noe enim licet esset justus, per fidem tamen qua Deo credidit et obedivit in arcæ fabrica, promeruit sibi justitiæ augmentum, familiæ vero suæ promeruit ut in ea sola quasi hæreditario jure et successione permaneret vera Dei fides, cultus, religio, justitia et amicitia, utque ex se quasi novi mundi totius hærede, et novi sæculi parente tandem Christus, justificator mundi, Adæ patri suo promissus, *Genes.* III, 15, nasceretur. Ita Theophylactus, Anselmus, Galenus et alii. Noe hæres justitiæ Adami. Henoch, Abel et novi mundi.

8. FIDE QUI VOCATUR ABRAHAM, OBEDIVIT IN LOCUM (in terram Chanaan) EXIRE, QUEM ACCEPTURUS ERAT IN HÆREDITATEM. — Pro *qui vocatur* græce est καλούμενος, quod Syrus vertit, *cum vocaretur*, scilicet a Deo. Melius noster interpres et Theodoretus vertunt, *qui vocatur*, *q. d.* Patriarcha ille admirabilis, cujus nomen apud vos, o Hebræi, est celeberrimum, qui prius אברם *Abram*, id est pater excelsus, sed postea merito fidei et obedientiæ vocatus et factus est אברהם Abraham, quasi אב רב המון *ab rab hamon*, id est, pater magnæ multitudinis, sive multarum gentium, *Genes.* cap. XVII, vers. 5, *Rom.* cap. IV, vers. 17, hic, inquam, Abraham « fide, » id est per fidem, obedivit Deo, *primo*, ex Ur Chaldæorum; *secundo*, ex Haran se evocanti in terram Chanaan, ubi eum Deus tam miro favore, benevolentia et familiaritate dignatus et prosecutus est, *q. d.* Fides est, quæ Abrahamum ad Dei amicitiam provexit; fides est, quæ illum tantum, quantus evasit, effecit; fides Abrahamum (quantum virum!) finxit et efformavit. Abram nomen auctum propter fidem

Quæstio hic est, an Abraham cum vocaretur a Deo, ut egrederetur ex Ur et Haran, sciverit sibi eundum esse in Chanaan; et an Deus Chanaan illi nominarit, an vero tantum confuse et in genere dixerit : Vade in terram quam tibi (postea) ostendam et demonstrabo. Putant Pererius, in *Genes.* XII, 5, et Vasquez hic, Abraham distincte non audisse, nec scivisse de Chanaan, quod eo sibi esset eundum. Id enim Apostolus hic videtur significare, et Deus *Genes.* XII, 1 : « Veni, inquit, in terram quam monstrabo tibi; » itaque magis commendatur fides et obedientia Abrahæ. Hæc sententia est probabilis, verior tamen videtur contraria, quam sequitur ibidem Abulensis, Oleaster et Ribera hic, scilicet Deum evocasse Abraham ex Ur et Haran in Chanaan, eamque illi nominasse et indicasse. Probatur, quia id diserte dicitur *Genes.* XI, 31 : « Tulit, inquit, Thare Abram filium suum, et Lot, et Sarai, et eduxit eos de Ur Chaldeorum, ut irent in terram Chanaan. » Arursum *Genes.* XII, 5 : « Egressi, inquit, sunt ut irent in terram Chanaan. » Respondet Pererius, Chanaan hic per anticipationem, brevitatis et perspicuitatis causa nominari, sensumque esse, An Deus evocans Abraham ex Ur et Haran, illi nominaverit terram Chanaan?

(1) Minus recte.

*q. d.* Exierunt in terram, tunc quidem sibi incognitam, quam tamen postea, Deo indicante et demonstrante, cognoverunt esse Chanaan. Re ipsa ergo exiverunt versus Chanaan, sed postea demum cognoverunt se tendere in Chanaan, ibique sedem fixuros esse.

Verum cum Moses historice hunc exitum narret, et secundo dicat eos exisse in Chanaan, plane id ut sonat accipiendum videtur. Adde *secundo*, Thare (de quo incertum est et dubium, an tunc fuerit fidelis et veri Dei cultor) non videtur fuisse tantæ fidei, tantique animi, ut ex Ur patria et sede sua, cum Lot et Sara, totaque sua stirpe exiret, ut sequeretur Abrahamum filium suum a Deo evocatum, nisi scivisset determinate quo evocaretur, quoque omnes essent ituri, ut sedem figerent. *Tertio*, quia nisi Deus distincte evocasset Abraham in Chanaan, nescisset Abraham versus quam partem egredi, quo tendere deberet. Jam autem constat Abraham cum Thare, primo ex Ur ivisse in Haran. Sciebant ergo sibi eundum esse versus Haran, ac consequenter sciebant sibi eundum esse in Chanaan. Nam Haran recta erat via euntibus ex Ur in Chanaan : nolebat enim Deus eos morari in Haran, sed ex Haran pergere in Chanaan.

Chanaan scivit Abraham, nescivit tamen determinatum agrum vel locum sibi a Deo destinatum. Illustratur fides Abrahæ simili.

Dices : Quomodo ergo Apostolus ait, quod Abraham exierit *nesciens quo iret*. Respondeo, *quo*, id est, in quam determinatam regionem, agrum vel urbem. Licet enim sciret se a Deo evocari in Chanaan, tamen nesciebat in quam partem Chanaan vocaretur : regio enim Chanaan ampla erat et in multos reges partita. Unde voluit Deus Abrahamum, quasi cæcum educere ex Ur et Haran, ut per medias provincias, perque Chanaan, peregrinaretur pendulus semper a Deo, et juxta Dei nutum stationes identidem mutaret. Id patet *Gen.* cap. XII, et sequentibus. Ex quo liquet magna fides et obedientia Abrahæ : perinde enim fecit atque si Belga aliquis Dux aut comes ex Belgio in Hispaniam evocaretur a Rege dicente : Relinque Belgium et omnia quæ habes in Belgio : veni cum tuis in Hispaniam, ad illam provinciam et urbem, quam, cum eris hic, ostendam et dabo tibi. Magna foret fides Belgæ illius in Regem, si ad ejus vocem certa pro incertis dimitteret : licet enim sciret in genere se in Hispaniam evocari, tamen nesciret, an regio vel urbs quam in Hispania accepturus est, sit major, melior, commodior, salubrior, opulentior suis fundis, quos possidet in Belgio. Ita fecit Abraham. Adde, quod vaga et incerta peregrinatio soleat liberorum procreationi et educationi officere, opes deterere, famam maculare, amicitias dissolvere.

Eodem modo respondetur ad illud *Genes.* XII : « Vade in terram (id est, in illam terræ Chanaan portionem) quam monstravero tibi, » hebraice אראך *arecha*, id est, quam videre te faciam, quam oculis tuis ostendam.

**9. Fide demoratus est in terra repromissionis, tanquam in aliena, in casulis habitando.** — Pro *demoratus est* græce est παρῴκησεν, id est habitavit, non tanquam civis et incola, sed tanquam πάροικος, id est, advena et peregrinus : quod Noster recte vertit, *demoratus est*; non bene Erasmus vertit, *commigravit*. Sic enim græce dicendum fuisset, μετῴκησε.

Tanquam in aliena. — Quia, ut sequitur, domum in ea ædificare noluit, nec agros in ea possedit, sed semper in casulis, græce ἐν σκηναῖς, id est tabernaculis et tentoriis, habitavit, idque ut significaret se tendere alio, scilicet ad patriam et habitationem cœlestem. Magna fuit et heroica fides Abrahæ, *primo*, quod patriam, cognatos, parentes, familiam, domum opesque deseruerit, Deumque vocantem secutus sit. *Secundo*, quod ex indigena peregrinus factus sit. *Tertio*, quod in incertum vagatus sit nesciens quo iret, ubi consisteret. *Quarto*, quod, licet esset in terra promissionis, id est, promissa sibi a Deo, tamen usque ad mortem nihil in ea a Deo datum, ne quidem passum pedis, ut ait S. Stephanus, *Actor.* VII, 5, possederit, sed crediderit et sperarit certo sibi, id est posteris suis, eam esse dandam. *Quinto*, quod tota vita voluerit peregrinari, credens et sperans domum æternam in cœlis.

Cum Isaac et Jacob cohæredibus repromissionis ejusdem, — *q. d.* Abrahæ fides in eo rursum magis elucet, quod non tantum se, sed et Isaac, Jacob, aliosque deinceps posteros suos, qui erant hæredes promissionis sibi factæ a Deo de terra Chanaan possidenda, voluerit et jusserit habitare in eadem Chanaan, quasi peregrinos in casulis et tentoriis, donec Deus post 400 annos promissionem suam expleret, terramque illam ipsis possidendam traderet.

**10. Expectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor Deus,** — *q. d.* Abraham cum suis civis erat non Chanaan, sed cœli : hinc in Chanaan domum habere noluit, sed in mobili semper habitavit tabernaculo, quia tendebat, et oculos jugiter conjiciebat in cœlestem civitatem, quasi patriam suam, immobilem, firmam et æternam. Ita Anselmus et alii.

Nota : Cœlestem civitatem opponit Apostolus et præponit tabernaculis et casulis Abrahæ, quæ non habent fundamenta, sed baculis et fulcris nituntur, cum quibus ab uno loco in alium transferuntur : cœlestis vero civitas Beatorum, puta cœlum empyreum, sua habet fundamenta firmissima æque ac pretiosissima, puta crystallina et gemmea, quæ describit S. Joannes, *Apocal.* XI, 19. Cœlestis civitas bene fundata.

*Secundo*, cœlestis civitas artificem et conditorem habet non Mosen, non Abraham, sed Deum ipsum, ut ex hoc solo colligere et metiri liceat, quanta sit civitatis illius pulchritudo, magnificentia, gloria, opes et felicitas, tanta nimirum, quanta decet talem artificem, scilicet Deum : Deus enim in hac sua civitate, quasi regia suam majestatem, divitias, potentiam omnemque gloriam suam beatis exhibet; perinde ac rex in suo palatio suis principibus regalem pompam, gloriam, delicias et opes omnes explicat et ostentat. Ejus opes et felicitas ipse Deus.



Adde : Deum non tantum hujus civitatis conditorem, sed et materiam sive objectum et spectaculum, atque delicias et opes esse ; adeoque ibi beatitudo Dei, omniaque ejus bona nostra beatitudo et bona erunt : erimus enim beati ipsa visione et beatitudine Dei. Deliciæ ergo nostræ, divitiæ et gloriæ, non erunt humanæ vel angelicæ, sed divinæ ; adeoque erunt ipsissimæ deliciæ, divitiæ et gloria, quibus fruitur, ditatur et beatur Deus. Denique hæc est civitas, « ubi rex est veritas, lex charitas, modus æternitas, » ait S. Augustinus, epist. 5 *ad Marcellinum*.

**11. Fide et ipsa Sara sterilis virtutem in conceptione seminis accepit, etiam præter tempus ætatis, quoniam fidelem credidit esse eum qui repromisit.** — Hactenus virilia exempla fidei adduxit Apostolus, nunc, ut magis incitet animos Hebræorum, muliebre subjungit; sed matris omnium credentium, Saræ scilicet, ut pudeat Hebræos in fide vinci a femina, eaque magis esse pusillanimes et timidos. Ita Chrysostomus.

Duo impedimenta conceptionis Sara fide superavit.

Notat Paulus duo impedimenta conceptionis in Sara : prius in natura, quod esset sterilis, posterius in ætate, quod jam esset plane senex et vetula. Utramque superavit fides, qua credidit Deo supra naturam promittenti conceptionem et partum Isaac.

Dices : Sara, *Genes.* XVIII, 12, ad Dei promissionem de Isaac ex ea nasciturò risit, quasi promissio hæc ridicula foret et impossibilis; ergo incredula fuit Sara : quomodo ergo eam a fide hic commendat Apostolus? Respondet Lyranus, Apostolum hanc conceptionem Sara tribuere fidei, non Saræ, sed Abrahæ. Sed hoc repugnat verbis Apostoli, qui dicit : quod « Sara per fidem conceptionem accepit, quoniam Deo credidit, » scilicet ipsa Sara quæ conceptionem accepit.

Sara quomodo risat promissionem conceptionis, si credidit?

Dico ergo, initio Sara mox ut audivit promissionem tantam, quæ naturaliter erat impossibilis et incredibilis, risit, quasi incredula : sed posteaquam cognovit angelos promittentes conceptionem legatos esse Dei, Deumque repræsentare, adeoque Deum omnipotentem, qui fallere non potest, per angelos hanc conceptionem sibi promittere, tunc credidit, ut satis colligitur *Genes.* XVIII, 14 et 15. Ita Theodoretus.

In conceptione seminis. — Græce εἰς καταβολὴν σπέρματος, id est, in conceptionem seminis, *q. d.* Ad recipiendum, retinendum, formandum semen prolificum, virtutem a Deo accepit per fidem Sara, quæ per naturam, utpote sterilis et anus, inepta erat ad hanc conceptionem. Ita Chrysostomus. Secundo, Græcum καταβολὴν Theophylactus vertit, *ad dejectionem seminis*, ut scilicet ipsa Sara suum quoque decideret et subministraret semen ad conceptionem Isaaci. Unde Erasmus vertit, *ad seminandum*. Tradunt enim medici in concepione non solum virum, sed et feminam suum decidere dareque semen proli efformandæ. *Tertio*, ex Hieronymo Ribera, καταβολὴν σπέρματος, id est, inquit, ad jacienda fundamenta, sive exordium seminis, id est, posteritatis suæ. Primus sensus est planissimus, eumque noster Interpres clare expressit.

**12. Propter quod et ab uno orti sunt (et hoc emortuo), tanquam sidera cœli, et sicut arena, quæ est ad oram maris, innumerabilis.** — *q. d.* Propter hanc fidem factum est ut Sara ex Abraham conciperet, et ex uno viro, eoque emortuo orirentur proles et posteri innumerabiles. Abraham vocat *emortuum*, quia corpus ipsius ob senium erat emortuum, et emortua in eo erat vis generandi. Sub fide Saræ intelligit et præsupponit Apostolus fidem Abrahæ, quasi mariti et patris credentium : Abraham enim magis quam Sara sua fide meruit hanc seminis posteritatem, ut patet *Genes.* XV, 6.

Nota hyperbolem, qua posteri Abrahæ comparantur arenæ maris, quæ est innumerabilis : certum enim est eos certo et definito esse numero, qui et numerari possit, et arenæ numerum non exæquet. Tantum ergo hac hyperbole significatur eos fore plurimos et maximo numero. Hinc Isaac, per quem omnes hi ex Abrahamo prognati sunt, hebraice risum et gaudium significat. Syriace vero dicitur איסחק *isechok*, id est, abundantia et redundantia (Syri enim Hebræum *tsade* mutant in *samech*), quæ maxime patet in hac posterorum copia.

**13. Juxta fidem defuncti sunt omnes isti,** — id est, per fidem, cum fide, retinentes fidem, et fideles usque ad mortem, defuncti sunt, quia, sicut in fide vixerunt, ita et in fide mortui sunt : bona enim a Deo promissa non viderunt, dum viverent, sed post mortem illa se accepturos crediderunt.

Dices : Si omnes isti defuncti sunt, ergo et Henoch defunctus et mortuus est, non autem translatus, ut dixit vers. 5.

Quomodo omnes defuncti, si Henoch translatus?

Respondet S. Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius, et ex eis Ribera, « omnes » vocari pene omnes : excipitur enim unus Henoch, quem ex dictis constat non esse defunctum, sed translatum. Sic *Genes.* XLVI, 7, dicitur Jacob venisse in Ægyptum cum omni sua progenie, *omni*, id est, pene omni, constat enim excipi Joseph, qui jam erat et præsidebat in Ægypto. Sic enim solemus loqui universaliter, etiam unus vel alter excipiatur, præsertim si constet illum excipi : tunc enim cuncti sciunt intelligi, omnes scilicet, hoc illove excepto. *Secundo*, præcise « omnes isti, » scilicet Abraham, Isaac et Jacob, qui post diluvium vixerunt et promissiones acceperunt tum de terra Chanaan, tum de vita æterna in cœlis possidenda, defuncti sunt : de hisce enim proprie loqui Apostolum, patet vers. 15 et 16, cum ait : « Et si quidem ipsius meminissent de qua exierunt, » sci-

Urbs Chaldææ (quæ fuit patria Abrahami, ex qua exivit Deo jubente in Chanaan), « habebant utique tempus revertendi, » *q. d.* Si pœnituisset Abraham exitus e patria sua, si de ea repetenda cogitasset, poterant facile ad illam redire, ne perpetuo in Chanaan peregrinari cogeretur; jam autem cum de reditu non cogitarit, patet illum aliam cogitasse et exquisiisse patriam, scilicet cœlestem. Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum, dicendo : « Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob. » Perinde ac si hi tres omnibus, quorum Deus est Dominus, sint æquiparandi, ait Theophylactus. Ita scilicet Deus hos tres viros sanctissimos in pretio et amore, cordi et curæ habuit. Videtur ergo Apostolus a vers. 8, ponere distinctum et secundum statum, ætatemque mundi, quæ scilicet fuit post diluvium, quando cœpit quasi novum sæculum fidei et Ecclesiæ in Abrahamo, qui fuit typus, exemplar et pater omnium credentium et fidelium, quique tota vita sua cum Isaac et Jacob peregrinatus est in Chanaan, quia spectabat civitatem cœlestem. Merito ergo uti Levitis sortem non habentibus in Chanaan, ita et Abrahæ pars et sors fuit Deus ipse : ac consequenter, cum ait Paulus omnes defunctos, non intelligit Abel, Henoch et Noe, qui fuerunt in priori sæculo et altero quasi mundo, qui fuit ante diluvium; sed tantum intelligit Abraham, Isaac, Jacob, qui fuerunt in novo hoc et secundo sæculo post diluvium. Ita S. Thomas, Lyranus et Cajetanus.

Loquitur tantum Apostolus de mortuis.

NON ACCEPTIS REPROMISSIONIBUS, — tum de terra Chanaan possidenda : hanc enim non adepti sunt, nisi sub Josue, post quadringentos annos; tum potius de cœlesti regno et gloria possidenda : hanc enim non sunt adepti, nisi per et post mortem Christi Jesu. De promissione enim cœli loqui Apostolum patet ex seq., cum ait : « Nunc autem meliorem appetunt, » id est, cœlestem. Ex hoc loco Patres et Theologi colligunt, ante Christum Christique mortem, nullam animam quantumvis sanctam et puram cœlum introisse, aut Dei visionem et beatitudinem adeptam esse. Unde cap. IX, docuit Apostolus ante Christum nondum propalatam fuisse Sanctorum viam, id est, cœlum mortalibus fuisse inaccessibile, uti ait ibidem Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus et alii. Et cap. X, idipsum diserte asseruit Paulus dicens : « Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam et viventem per velamen, id est, carnem suam. »

Nulla anima ante Christum beata fuit in cœlo.

SED A LONGE EAS ASPICIENTES ET SALUTANTES. — Est metaphora a navigantibus, inquit Chrysostomus, qui dum portum eminus aspiciunt, læto clamore quasi celeusmate, eum appellant et salutant. Sic apud Virgilium :

> Italiam, Italiam primus conclamat Achates.

Ita hi patres cum per fidem obscure viderent, id est crederent, patriam cœlestem, eam crebro cum desiderio appellabant et salutabant.

ET CONFITENTES, QUIA PEREGRINI ET HOSPITES SUNT SUPER TERRAM. — Hinc patet hunc sensum et hanc vocem, *Peregrini sumus in hac vita*, fuisse priscis illis patribus familiarem, quæ mire eos mundanarum opum et rerum contemptum, ac cœlestium desiderium et studium incitabat. Ita Jacob, *Genes.* XLVII, 9 : « Dies, inquit, peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt, parvi et mali, et non pervenerunt usque ad dies patrum meorum quibus peregrinati sunt. » Et David, *Psalm.* XXXVIII, 13 : « Advena ego sum apud te et peregrinus, sicut omnes patres mei. » Et Salomon, I *Paralipom.* XLIX, 15 : « Peregrini sumus coram te et advenæ, sicut omnes patres nostri. » Jeremias quoque de Christo loquens, cap. XIV, vers. 8 : « Quare, inquit, quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum? » Erras ergo, Christiane, si hic te domum habere putas, si te hic ad quietem, quasi in patria componis : peregrinus hic es, peregrinaris in terra aliena ; patria et requies tua est in cœlo; illuc propera, illuc festina. Ita Apostoli quasi peregrini toto orbe « euntes ibant et flebant mittentes semina sua. »

Peregrini sunt omnes homines in terra.

S. Olympius Abbas, uti narrat Sophronius in *Prato spirituali*, cap. XII, rogatus a quodam, quanam ratione recte vitam suam institueret, respondit : « Ubique æstima te peregrinum, et ubicumque sederis, dic : Peregrinus sum. » Quare recte monet S. Petrus, *epist.* I, cap. II, vers. 11, dicens : « Charissimi, obsecro vos, tanquam advenas et peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. » Nam qui civis est cœli et terræ advena, terrena præterire et contemnere, cœlestia appetere et prosequi debet, uti pulchre docet hic Chrysostomus in morali *homil.* 25. Insigne hac de re exemplum S. Basilii narrat Nazianzenus, in *Orat. funebri de laudibus S. Basilii* : cum enim præfectus Valentis Imperatoris Basilio minaretur exilium et ejectionem ab Episcopatu, respondit Basilius : « Nihil horum quæ dixisti curo, melior sum his qui publicant et proscribunt. Ipse me ob spem regni cœlestis proscribens, nihil vero possidens, ab exilii metu liber sum; unam omnium cognoscens esse patriam, paradisum (terram enim quasi commune omnium aspicimus naturæ exilium), propria vero carens terra nullo loco circumscribor; Domini enim est terra et plenitudo ejus, incola ego sum in terra sicut omnes patres mei. Cumque ab Episcopatu pelleretur in exilium, dixit illico socio suo : Libellum hunc accipe, et veni mecum; cum prius libellos pauculos et pannosam vestem qua indutus erat, præfecto obtulisset, quæ sola ipsius erant supellectilia; additque dicens : Exilium nihil ad me spectat, cum domus quam inhabito aliena sit. »

Pulchra apophthegmata SS. Olympii et Basilii profitentium se peregrinos.

Pari modo se peregrinum in hoc mundo professus est S. Gregorius Thaumaturgus, qui, ut inquit Nyssenus in ejus Vita, « moriens obtestatus est suos, ne peculiarem sibi locum sepulturæ compararent. Nam si vivus, ait, nullius loci dominus vocari volui, sed in alienis tanquam inquilinus et peregrinus habitans vitam transegi, ne post mortem quidem inquilinatus mihi dedecori erit : sed in sequenti sæculo fama prodatur, quod Gregorius nec vivens ab aliquo loco cognominatus sit, et post mortem alienorum locorum fuerit inquilinus, cum ab omni terrena possessione sese abstinuerit, adeo ut ne sepeliri quidem in proprio loco sustinuerit : solam enim illam possessionem pretiosam et expetendam putavit, quæ fraudis et avaritiæ vestigium sese non admittit. » Audi et Ethnicum. Cum Anaxagoras Lampsaci moreretur, quærentibus amicis, velletne Clazomenas in patriam, si quid ei accidisset, deferri : « Nihil necesse est, inquit; undique enim ad inferos (fideli et sancto ad superos) tantumdem est viæ. » Ita Cicero, I *Tuscul.*

Thaumaturgus peregrinus hic fuit.



Versum 15 explicui vers. 13, ejusque sensus satis patebit ex vers. 16.

16. NUNC AUTEM MELIOREM APPETUNT, ID EST COELESTEM. — « Nunc » non significat hic tempus præsens, sed adversativa et illativa est particula, *q. d.* Poterat Abraham in patriam, Chaldæam scilicet, redire, si voluisset : « nunc autem, » id est, cum autem videamus eum noluisse redire, hinc sequitur quod aliam civitatem meliorem, scilicet cœlestem, appetierit et prosecutus sit peregrinando in Chanaan tota vita sua.

17. FIDE OBTULIT ABRAHAM ISAAC, CUM TENTARETUR. — *q. d.* Cum Deus tentavit obedientiam et pietatem Abrahæ, dicens *Genes.* XXII, 2 : « Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, et vade in terram visionis (in montem Moria, ut habent Hebræa, in quo postea Salomon ædificavit templum), atque ibi offeres eum in holocaustum. » Abraham mox Deo jubenti per fidem obedivit, et « obtulit, » id est, offerre cœpit et tentavit suum Isaac; sed ne re ipsa offerret impeditus fuit ab angelo : « obtulit » ergo significat hic actum inchoatum, non consummatum, juxta *Canon.* 32.

Nota : Hanc oblationem Abrahæ tribuit Apostolus fidei illius, quia fides ipsum animavit et excitavit ad eam faciendam : alioqui enim dixisset Abraham : Impossibilia mihi promittis et præcipis, Domine; promittis enim mihi stirpem innumerabilem per Isaac, et jam præcipis eumdem offerri et occidi : quomodo ergo per eum, si occidatur, sperare potero stirpem quam promittis? Verum fides hic ei succurrit et hoc duellum diremit; credidit enim Abraham Deo tam promittenti, quam præcipienti, certoque sibi persuasit Deum effecturum, ut præceptum hoc promissionem non elideret; quia, ut subdit Apostolus, « arbitrabatur quia et a mortuis suscitare potens est Deus, » quod scilicet Deus Isaacum, si occideretur, a morte suscitaret, itaque Isaac suscitatus stirpem Abrahæ propagaret. « Cum ergo Deus aliquid promittit, inquit Chrysostomus, lib. I *De Providentia Dei*, etiamsi millia sint quæ promissionem ejusmodi obtundant atque intercipiant, turbari minime convenit, aut de fine dubitare. Deus enim promissa sua, licet desperatissima videantur, ad certum finem atque exitum perducet. »

In rebus etiam desperatissimis fidendum promissioni Dei.

CUM TENTARETUR. — Tradunt Hebræi apparuisse Abrahæ dæmonem specie angelica, eumque gravissimis verbis ab immolando filio deterruisse, tanquam a re impia et inauditæ crudelitatis, ac Dei voluntati contraria. Credibile est, si unquam, tunc maxime a dæmone tentatum esse Abraham; sed an dæmon ei visibiliter apparuerit, incertum est. Certius ergo hæc referemus ad tentationem Dei : alludit enim Paulus ad verba Mosis, *Genes.* cap. XXII, vers. 1 : « Tentavit Deus Abraham. »

ET UNIGENITUM OFFEREBAT. — Licet enim Ismael quoque natus esset Abrahæ, tamen Isaac vocatur unigenitus, quia solus ipse erat filius promissionis, unice dilectus hæresque Abrahæ designatus. Ismael ergo quasi exhæres, et domo Abrahæ cum matre Agar jam ejectus, filius Abrahæ non reputatur.

QUI SUSCEPERAT PROMISSIONES. — « Qui » refert non *Isaac*, sed *Abraham*, ut patet ex articulo Græco et ex sequentibus, cum ait : « Ad quem (scilicet Abraham) dictum est, » *q. d.* Abraham qui a Deo acceperat promissiones maximæ stirpis per Isaac propagandæ, hic eumdem Isaac Dei jussu, non moratus hasce promissiones, fidenter et generose Deo obtulit, quia fide credebat Deum modum inventurum, puta resuscitationem Isaaci, quo per eum promissam stirpem daret et compleret.

Mira fides Abrahæ, qua credebat Deum posse suscitare filium immolatum.

18. AD QUEM (Abraham) DICTUM EST : QUIA IN ISAAC VOCABITUR TIBI SEMEN. — « Quia » non est causale hic, sed expletivum; et Latina phrasi redundat, uti et alibi sæpe : sic enim Hebræi passim sermonem suum ordiuntur a כי *ki*, id est *quia*. Dixit Apostolus Abraham per Isaac accepisse promissionem stirpis, jam idipsum hic probat et explicat, ex eo quod Deus dixit et promisit Abrahæ, *Genes.* XXI, 12 : « In Isaac vocabitur tibi semen, » id est, ex Isaac, non autem ex Ismael, excitabitur tibi posteritas quæ censenda et vocanda sit posteritas tua, ut scilicet sit hæres promissionum mearum, quas tibi et semini tuo pollicitus sum.

Vers. 18.

In Isaac, non Ismaele, docenda posteritas Abraham.

19. ARBITRANS QUIA ET A MORTUIS SUSCITARE POTENS EST DEUS. — Nota τὸ *et a mortuis*, pro quo perperam Beza vertit, *vel a mortuis*. refertur enim illud καὶ, id est *et*, ad generationem Isaac, *q. d.* Arbitrans Deum, qui illum ex sterilibus parentibus generare potuit, posse eumdem et a mortuis suscitare. Pro *arbitrans* græce est λογισάμενος, id est, cum secum perpendisset, considerasset, ratiocinatus esset suaque ratione conclusisset. Sic enim ratiocinabatur Abraham : Jubet Deus filium Isaac a me offerri et immolari, et tamen per eumdem mihi stirpem promittit : ergo vel curabit, ut

quidquid ego effecero ad eum offerendum, ipse tamen non occidatur; vel si occidatur, efficiet ut resurgat: hac fide et spe animatus, Deo quidlibet præcipienti alacris parebo.

UNDE EUM ET IN PARABOLAM ACCEPIT. — « In parabolam, » id est, in figuram Christi, inquit Chrysostomus, Galenus, Vatablus (1). Sicut enim Isaac a morte salvo surrogatus est aries, quem obtulit Abraham, ita salva deitate Christi in cruce immolata est ejus humanitas. Unde huc videtur alludere Christus, *Joan.* VIII, 56 : « Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum, vidit, et gavisus est : » *vidit*, in typo, scilicet, in immolatione Isaac.

Secundo, id est exemplum. *Secundo*, Theophylactus et Œcumenius, « in parabolam, » inquiunt, id est, in exemplum; quasi dixerit Deus : Si Abraham obtulit filium suum, et ego unigenitum meum, Christum scilicet, offerre debeo.

Tertio, fuit ipse parabola, id est, typus resurrectionis Christi quasi alter phœnix. *Tertio*, « in parabolam, » id est, in typum, mortis scilicet et resurrectionis Christi et Christianorum. De resurrectione enim hic agi innuit vox *unde*, cum ait : « Arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est Deus : unde eum et in parabolam accepit, » ut scilicet Isaac esset parabola et typus resurrectionis, sicut phœnix qui moriendo renasci dicitur, typus est et hieroglyphicum resurrectionis. Videbatur enim Isaac quasi a morte resurrexisse, cum certæ morti destinatus, patre vibrante in cervicem ejus gladium, angelus gladium continuit, et Isaac a morte liberavit. Ita Theodoretus.

Quarto, et optime : Abraham et Isaac sunt parabola, id est, exemplum memorabile omnium sæculorum. *Quarto* et optime, « in parabolam, » id est, ut Isaac esset parabola, fabula, proverbium, exemplum memorabile et prodigium omnium sæculorum, quod omnibus sæculis homines memorarent et celebrarent, ut, cum de re mira, memorabili, paradoxa et prodigiosa volent loqui, narrent hoc fidei, spei, pietatis et obedientiæ exemplum Isaac, *q. d.* Per fidem Abraham obtulit Isaac, credens quod Deus illum a morte vel liberaret, vel suscitaret; atque hujus tantæ fidei merito incolumem et a morte miraculose servatum, salvumque illum recepit « in parabolam, » id est, in exemplum rarum et admirabile, quod quavis ætate posteri narrent, proponant et imitentur : ut, cum Deus per se aut suos nobis aliquid jusserit, licet arduum et difficile, exemplum Isaac ob oculos habentes, fidenter et generose nos offeramus, remque jussam capessamus, certi Deum affore, implexa explicaturum, ardua superaturum, ignominiam, infirmitates, ærumnas, mortes omniaque mala, quæ timemus, in bonum nostrum, laudem et gloriam conversurum, uti fecit Isaaco. Ita jam videmus hoc Abrahæ et Isaac fidei et obedientiæ exemplum et præmium, ab omnibus celebrari, omnibusque proponi, quasi cuivis fideli et obedienti dicatur : Crede, obedi, instar Isaaci, ne dubita, bene res cadet, tibi eveniet quod evenit Isaaco. Hinc imago hujus facti olim passim omnibus proposita fuit. Testis est Gregorius Nyssenus citatus in Concilio Nicen. II, action. IV, *can.* 1 : « Vidi, inquit, sæpius descriptionis ejus (immolationis Isaac) imaginem, et sine lacrymis transire non potui, cum tam efficaciter et ad vivum ob oculos historiam ejus rei poneret. »

Obedientiæ promptæ exemplum.

Sic Isaias, Ezechiel, Daniel, Oseas aliique prophetæ et viri sancti admirandæ et portentosæ vitæ, qualis fuit Simeon Stylites, Antonius, Athanasius et alii plurimi dati sunt in parabolam et exemplum toti orbi : adeoque cum eis potuisset dicere Abraham illud *Isaæ* VIII, 18 : « Ecce ego et puer meus, quem dedit mihi Dominus, in signum et portentum Israel. »

Sancti viri dantur modo in exemplum et prodigium.

Sic Christus patiens dicit *Psalm.* LXVIII, 12, se Judæis (non in bonum, sed in malum) factum in « parabolam, » id est, in fabulam et publicam irrisionem. Sic Prophetæ dicunt Jerusalem, aliasque urbes vastandas, tradi in parabolam, id est, in fabulam et exemplum omnium.

Posset quoque parabola hic accipi pro ænigmate, *q. d.* Abraham offerens filium, ex quo sperabat posteros, accepit illum in parabolam, id est, in ænigma et ænigmaticam comparationem. Comparando enim Dei promissionem de Isaaci posteris, cum ejus nece et immolatione, ænigma erat : « homo moriens et generans, » puta Isaac. Sicut ænigma phœnicis est : « avis moriens et renascens; » vel, ut Poeta canit :

Isaac erat parabola, id est, ænigma, scilicet homo moriens et generans.

Nec sum, nec non sum, morior simul atque renascor,
Sumque mihi lethi, et redeuntis originis auctor.

Hebræum enim משל *mascal*, quod Septuaginta et Noster vertunt *parabolam*, significat quamvis sententiam et rem illustrem et excellentem, sive proprie parabolica illa sit, sive proverbialis, sive ænigmatica. Sic dicitur *Ezech.* XVII, 2 : « Fili hominis, propone ænigma, et narra parabolam : aquila grandis, » etc. Ubi ænigma vel parabola vocatur aquila vastans Libanum, per quam intelligit Nabuchodonosorem vastantem Jerusalem. Et cap. XXIV, vers. 3 : « Dices, inquit, per proverbium ad domum irritatricem parabolam, » ut scilicet sub ænigmate et parabola ollæ carnium appositæ igni, prædicas obsidionem Jerusalem. Sic *Numer.* XXIV, 15, Balaam dicitur « sumpsisse parabolam, » cum per stellam ænigmatice Christum præsignificavit, dicens : « Orietur stella ex Jacob. » Sic et Christus parabolas suas, quasi ænigmata obscure proponebat turbis, quas postea discipulis suis explicabat : « Vobis, inquit ipse, *Lucæ* cap. VIII, vers. 10, datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant. »

Ænigmata in Scripturis vocantur parabolæ.

20. FIDE ET DE FUTURIS BENEDIXIT ISAAC JACOB

(1) Ita Allioli. Rosenmullerus vero : Unde eum etiam per imaginem quamdam resuscitationis ex mortuis recepit.



BY ESAU. — Ab Abraham transit ad Isaac, qui ex Dei revelatione prævidens futura bona, filiis suis Jacob et Esau obventura, eadem illis moriens imprecatus est; itaque per fidem eis benedixit, dicens *Genes.* XXVII, 28 : « Det tibi Deus de rore cœli, et de pinguedine terræ, abundantiam frumenti et vini, et serviant tibi populi, et adorent te tribus, » etc. Unde patet hanc benedictionem, non tam precationem, quam prædictionem fuisse de futuris, quæ ex Deo revelante per fidem præscivit Isaac. Illa enim post multa sæcula non ipsi Jacobo, sed posteris ejus obtigerunt in Chanaan. Vide hic, ut fides sit argumentum rerum sperandarum et futurarum.

Jacobi benedictio fuit simul prædictio.

Vers. 21. 21. FIDE JACOB MORIENS SINGULOS FILIORUM JOSEPH BENEDIXIT. — Cum scilicet *Gen.* XLVIII, transpositis decussatim et cancellatis manibus in modum crucis, dextram imposuit Ephraim juniori, qui erat ad sinistram suam, sinistram vero suam imposuit Manasse seniori filio Joseph, qui erat ad dextram suam, itaque juniorem prætulit seniori dicens : « Iste quidem (Manasse) erit in populos, et multiplicabitur; sed frater ejus minor (Ephraim) major erit illo, et semen illius crescet in gentes, » quia videlicet fide prævidebat Jacob futurum, ut ex Ephraim non tantum Josue dux populi, sed et omnes reges Israelis, id est decem tribuum, nascerentur; itaque tribum Ephraim non tantum tribum Manasse, sed et cæteras omnes, et numero et gloria et regno atque imperio superaturam.

Tribus Ephraim major reliquis tribubus.

ET ADORAVIT (Jacob) FASTIGIUM VIRGÆ EJUS. — Scilicet Joseph filii sui dominantis in Ægypto. Dices : Quomodo ergo *Gen.* XLVII, 31, quem hic citat Apostolus, dicitur adorasse Jacob non virgam Josephi, sed « conversus ad lectuli caput. » Respondeo : Diversitas hæc versionis provenit ex nomine Hebræo מטה *matte*, cui si substituas *chiric* et *camcis*, legasque מטה *mitta*, significabit lectulum; sin substituas *patach* et *segol*, legasque מטה *matte*, significabit virgam. Hebræi enim omnes ante tempora Christi, imo usque ad tempora S. Hieronymi, scribebant solas consonantes verborum et nominum sine ullis punctis aut vocalibus, ita ut hoc nomen מטה hebraice scriptum, tam *mitta* quam *matte* legi posset. Nimirum usus est Spiritus Sanctus hac linguæ Hebrææ amplitudine, ut plura iisdem verbis significaret. Inde enim provenit diversitas versionum Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, Hieronymi et aliorum. Voluit ergo Spiritus Sanctus legi hic tam *mitta*, id est lectulum, quomodo legit et vertit Noster in *Genesi*, cum Aquila et Symmacho; quam *matte*, id est virgam, quomodo legerunt Septuaginta et ex iis S. Paulus hic.

Matte Hebraicum virgam et lectulum significat mutatis punctis.

Franciscus Ribera opinatur vocem מטה *mitta* cum iisdem punctis sive vocalibus olim significasse tam lectulum quam baculum. Radix enim נטה *nata* significat reclinare : inde *mitta* est reclinatorium, sive id sit lectus, sive baculus cui innitimur inclinando. Ceniset ergo Ribera eamdem vocem *mitta* utrollibet modo hic verti potuisse; posteriores enim Hebræos punctorum inventores in hoc nomine pro varietate significationis, alia et alia puncta substituisse, cum antea essent eadem, ut scilicet ex *mitta* fecerint *matte*, cum virgam significat. Verum hoc non videtur admodum probabile : contrarium enim docent omnes Hebræi omniaque lexica, scilicet *mitta* significare lectulum, non virgam; *matte* vero significare virgam, non lectulum. Neque vero Hebræi posteriores, licet puncta adinvenerint, quæ subscripta vocibus Hebræis, imperitis lectionem planiorem redderent, idcirco vocales et pronuntiationem nominum mutaverunt, ut ex *mitta* facerent *matte* : hoc enim eos fecisse in ullis aliis nominibus demonstrari non potest. Adde, quod S. Hieronymus in *Tradition. in Gen.* notans Septuaginta, qui legerunt *matte*, et verterunt virgam, ait in Hebræo multo aliter legi, scilicet, *et adoravit Jacob conversus ad lectuli caput*. Ubi nota : dicit Hieronymus nomen Hebræum aliter verti posse, sed in Hebræo aliter legi : ergo censet Septuaginta legisse *matte*, aliter vero debere legi, scilicet *mitta*; sic cap. XII, vers. 6, Apostolus citans *Proverb.* III, 11, legit cum Septuaginta כאב *kieb*, id est castigat, cum S. Hieronymus et alii legant כאב *keab*, id est sicut pater, de quo plura ibidem. Denique tam ambiguum et amphibologicum est, quod unum idemque quoad omnia nomen, v. g. *matte*, duo hoc loco significet, quam quod duobus modis secundum diversa puncta, scilicet *mitta* et *matte*, legi possit. Unde si prius non est absurdum, sed admittitur, ergo nec posterius absurdum aut mirum videri et censeri debet. Idem ergo nomen מטרה quoad consonantes, duplex est quoad vocales et in duo nomina dividitur, scilicet *mitta* et *matte*; et utroque modo hic legi posse docet utraque lectio et versio, scilicet tam Septuaginta quam S. Hieronymi ab Ecclesia probata jam et recepta. Septuaginta ergo et ex iis S. Paulus sic vertunt, προσεκύνησεν ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ. Quod S. Augustinus, Quæst. CLXII *in Gen.*, Diodorus et Gennadius, in *Gen.* XLVII, vertunt, *adoravit Jacob super caput*, vel *summitatem virgæ suæ*, subaudi innixus, *q. d.* Jacob summitati virgæ vel scipionis sui præ senio incumbens et innixus adoravit, non Joseph, sed Dominum.

Verum noster Interpres cum Chrysostomo, Procopio, Eucherio in *Gen.* XLVII, melius vertunt sic, *adoravit* (Jacob) *fastigium virgæ ejus* : hoc enim plane et absolute verba Græca significant, cum prior S. Augustini versio subaudire et supplere debeat, τὸ *innixus*, vel *incumbens*.

Nec obstat Græcum ἐπὶ et Hebræum על *al*, quod proprie *super* significat, *q. d.* Adoravit Jacob super caput virgæ suæ, scilicet incumbens. Nam Hebræum *al* et Græcum ἐπὶ subinde tantum denotant rem adorandam in accusativo, cujus sunt notæ, ut I *Reg.* I, 10 : « Anna oravit ad (hebraice על *al*) Dominum, » id est, oravit Dominum; *Isaæ.*